



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno CCCCLII. ad annum CCCCLXXX.

Parisiis, 1644

Concilium Milevitanum I. Generale Sub Innocentio Kalendis Septembris
anno Christi 402. habitum

urn:nbn:de:hbz:466:1-14918

EPISTOLA XXXIV.

INNOCENTII PAPÆ I.

Quod facere potuit, se Hieronymi causa fecisse dicit.

Dilectissimo fratri Aurelio Innocentius episcopus.

PISSIMAM etiam ad nos perueniendi tuam affectionem bene compresbyter noster credidit Hieronymus: compatimur gregis nostri membro, & quod faciendum duximus, vel facere potuimus, sumus velociter executi. Germanitas tua, frater carissime, citius literas memorato reddere festinet.

CONCILIVM MILEVITANVM ^b I.

GENERALE

SVB INNOCENTIO

Kalendis Septembris^c anno Christi 402. habitum

ACTA illius Græce & Latine extant infra in Concilio Africano, quæ sic incipiunt: ^a *Gloriosissimis imperatoribus Arcadio & Honorio V. consulibus VI. Kalendas Septembris*; reliqua in dicto Africano Concilio infra require.

ANNO
CHRISTI
402.

NOTÆ.

Locus Con-
cili.

^a *Concilium Mileuitanum.*] Sic dictum a Mileui, qui est Africæ propriæ locus, teste Abrahamo Ortelio in thesauro geographico. Mileuitanæ regionis & ciuitatis meminit S. August. epist. 129. & 168. Vnde liquide apparet errare eos, qui hoc Concilium in Melita insula habitum scribunt.

Acta Con-
cili.

In hac Synodo post confirmata synodalia Decreta, diuersorum episcoporum causæ in medium adlatæ sunt. Cresconii Villaregiensis episcopi causam, ante omnes alias in iudicium deductam esse, constat; sed quid in ea decretum ac constitutum fuerit, non apparet. Post hanc tractata fuit causa Quodvultdei Centuriensis episcopi, de qua illud a patribus definitum, quod Canon hic, & sub titulo de iudiciis in Decretaliû libro secundo editus habet. Tertio lectus est libellus Maximiani Vagiensis episcopi, qui cum ex Donatistarum schismate ad ecclesiam catholicam conuersus non pacifice a populo recipere-tur, bono pacis consulens, significabat se suæ sedi renuntiare; rogans etiam, vt ad bene consulendum paci ecclesiasticæ, alius in locum

ANNO
CHRISTI
402.

suum subrogetur. Causa igitur diligenter examinata, patres spontaneam & honorificam illius propter bonum pacis factam abdicationem admiserunt, atque fratrem ipsius Castorium, ad quem S. Augustini & Alypii literæ hoc anno cum laude Maximiani descriptæ extant, in eius locum subrogarunt. Ad hanc Synodum spectare videtur quod scribit S. Augustinus epistola 236. ad Xantippum de presbytero quodam, qui cum ob ieiunii natalis Domini violationem, officio suo per Augustinum merito priuatus fuisset, ad Synodum appellauit, suamque causam sex delegatis iudicibus episcopis committi impetrauit. Cum de primatu Numidiæ inter Xantippum Constantinæ, & Victorinum alterius ciuitatis in Numidia disceptatum esset, vt constat in præfatione Concilii Carthaginensis VI. & 217. epist. August. ad Victorinum, in hoc Concilio primatus Numidiæ Xantippo sedique Constantinæ adiudicatus fuit. Vnde Iustinianus imperator lib. 2. Cod. de offic. præf. prætor. Afric. Constantinam ciuitatem primam sedem Numidiæ appellat. De hac Synodo intelligendum est istud S. August. epist. 168. ad Eusebium, qua negat sui muneris esse, parricidium a filio quodam catholico ad Donatistas transfuga matri intentatum, ad Mileuitanam Synodum deferre: maxime cum res in aliena diœcesi gesta, ob imminens periculum, ad magistratum delata esset. Hæc ex Baron. ann. 402. num. 58. & sequentibus vsque ad finem.

Presbyter quidam ob violatum ieiunium, officio suo priuatus est.

Primatus Numidiæ Constantinæ ciuitati adiudicatus.

^b *Primum.*] Sub Innocentio pontifice duo habita sunt Concilia Mileui in Numidia: vnum sub primatu Xantippi, Arcadio & Honorio V. consulibus, anno Domini 402. qui est Innocentii primus; in quo post pauca Decreta synodalia confirmata, Cresconii, Quodvultdei, Maximiani & Xantippi causæ tractatæ fuerunt. Alterum habitum est sub Siluano, Numidiæ primate, Theodosio VII. & Palladio consulibus, anno Domini 416. qui est Innocentii 15. in quo vnanimi consensu Pelagiana hæresis, tempore Mileuitani primi necdum exorta, condemnata fuit. Librariorum vitio, vel potius collectorum incuria accidit, vt duo hæc Mileuitana vnum idemque Concilium esse arbitrati, simul in vnum conflauerint, & ex duobus vnum fecerint. Causam erroris accepisse videntur; primum a loco ipso, quod scilicet vtrumque Mileuitanum diceretur. Secundo, quod vtrumque generale Concilium fuerit. Tertio, quod sub vno eodemque Romano pontifice Innocentio ambæ Synodi collectæ esse noscantur. Denique quod vtrique eadem præfatio, quæ huius dumtaxat propria, & subreptitiæ in secundam translata est, præfixa habeatur. Baron. ann. 402. num. 54. & 55. Item 416. num. 2. & 3. &c.

Duo Mileuitana Concilia diuerso tempore habita, librariorum vitio confusa fuerunt.

Qua ratione Mileuitana Concilia confundi contigerit?

^c *Anno 402.*] Arcadio nimirum & Honorio V. consulibus, vt patet ex præfatiuncula Concilii. Horum autem consularatus cum allegato anno Christi & primo Innocentii coincidit, vt ex factis patet.

Quo tempore hoc Concilium habitum sit.

^d *Gloriosissimis imperatoribus.*] Hæc præfatiuncula huius tantum Concilii est. Eadem præfixa extat Mileuitano II. sed vsque ad illa verba, *Ideoque pariter*, &c. mendose, & librariorum aut collectorum errore, vt diximus. Nam tempore Mileuitani II. Aurelius Car-

Præfatiuncula huic Concilio subreptitiæ addita.

rhaginenſis eodem tempore celebrato præſidebat, vt infra dicemus.

^a *Arcadio & Honorio V. conſulibus.*] In Concilio Africano ſub Cæleſtino, Can. 52. omiſſo numero conſulatus additur *viris clariffimis*: ſed mendose & imperitorum librariorum errore. Nam eiufmodi nomenclatura ab imperatoribus abhorret, ſoletque tantum poni, vbi alii ſub imperatore conſtituti nobiliſſimi viri, eadem conſulatus dignitate donantur. Puto accidiffe, quod loco harum duarum literarum V.C. quintum conſulatum denotantes, illi *viris clariffimis* poſuerint. Hoc Concilium vere ſub quinto conſulatu Arcadii & Honorii celebratum eſſe, ex dicto Africano Concilio exploratiſſime demonſtratur. Nam cum quod præcedit ſuperius Concilium, Vincentio & Flabito conſulibus, anno Chriſti 401. habitum fuiſſe reperiatur, quodque poſt hanc Mileuitanam Synodum ibidem ſubiungitur, ſub conſulibus ann. 403. celebratum fuerit, perſpicue ſignificatur Concilium medio loco ibidem collocatum, hoc anno 402. ſub V. conſulatu Arcadii & Honorii coactum fuiſſe. Baron. anno prædicto num. 57.

ANNO
CHRISTI
402.

^a SYNODVS ^b AD QVERCVM HABITA,
ANNO CCCCIII. IN CAUSA
Chryſoſtomi & Photii.

ACTA ^c huius Synodi extant ex Photii bibliotheca apud Baronium, anno 403. num. 17. 18. 19.

ANNO
CHRISTI
403.

NOTÆ.

Cauſa
Concilii.Theophi-
lus Chry-
ſoſtomo
litem mo-
uer.Chryſoſt.
citatur a
Theophilo
ad iudiciũ.

Chryſoſt.

^a *Synodus.*] Cauſa habitæ Synodi hæc eſt: Theophilus ad dicendam cauſam de criminibus illi ab Origeniſtis impoſitis Conſtantinopolim euocatus cunctanter venit: verum in itinere collegit episcopos, quibus ad Chryſoſtomi deſignationem abuteretur; propterea quod Chryſoſtomus Origeniſtarum fautor eſſe videretur. Cum igitur perueniſſet Conſtantinopolim, in ſuburbio per tres hebdomadas ſubiſtens, ex reo ſubito factus actor & iudex, conſilio ſuo patefacto, omnes variis de cauſis Chryſoſtomo inſenſos episcopos, clericos, monachos, viros, feminas, ipſam quoque imperatricem Eudoxiam excitat ad accuſationes in eum intendendas, quas ipſe in Synodo diiudicandas ſuſcepit. Facta citatione Chryſoſtomi, quadraginta episcopos Conſtantinopoli congregati, eius nomine reſponderunt: *Ne ſoluas, inquit, Nicæni Concilii Canones, cauſasque citra tuos terminos ne cognoſcas, ipſe potius tranſi ad nos in bene inſtitutam ciuitatem, qui plures ſumus ex diuerſis prouinciis, in quibus & ſeptem metropolitæ; & vos triginta ſex tantum ex vna prouincia: habemus enim contra te libellos capitum 70. apertas & nefarias actiones continentes, &c.* Ipſe vero Ioannes Chryſoſtomus reſpondit: *Abiicite de medio ve-*